DISPUTATIO IURIDICA

De

MUTUO.

QUAM

A. D. O. M.

Auctoritate & consensu Amplissimi ICtorum ordinis in illustri Iulia.

SUB PRAESIDIO

IOHANNIS Schwartzkopffs

Bocnemensis Saxonis.

defendendam proponit

HENRICUS NIEMAN

Verdensis.

Ad diem 22. Septembr. horis & loco consuetis.



HELMAESTADI,

Typis heredum IACOBI LUCI

ANNO cIↄ cI cXXI.



VIRIS

ADMODUM REVERENDIS

Nobilitate ac virtute præstantißimis

DD. DECANO, PRAEPOSITO, SCHOLASTICO, SENIORI, TOTIQVE CAPITVLO Ecclesiæ CATHEDRALIS Verdensis.

VT ET

Reverendis, Clarißimis, Præstantißimisq; viris, respectivè fratribus,

DN. M. IOANNI POLEMANNO
Decano ad D. Andreæ, & Cathedralis Ecclesiæ, quæ est Verdæ Concionatori primario.

DN. M. ANDREAE POLEMANNO
ad D. Ioannis concionatori vigilantissimo.

DN. IACOBO POLEMANNO
Canonico ad D. Andreæ,

DN. M. THEODORO POLEMANNO
Canonico ad D. Pauli Halberstadi.

Illis Dominis patronis ac promotoribus suis, omni observantiæ & officiorum genere colendis; his agnatis & fautoribus animitus honorandis.

submisse inscribit.

Henricus Nieman Verdensis, Aut. & Resp.

THESIS I.



ADſiſtente divini numinis gratiâ, materiam de mutuo, vt vſu frequentem & quotidianam, ita cognitu neceſsariam & vtilem tractaturi, operæ pretium eſſe arbitramur, ſi, priuſquam rem ipſam aggrediamur, vocabuli ſignificationem & definitionem ponamus: Vocis enim tractatio in principio ſemper eſt inſtituenda, *arg. l. 1. in pr. ff. de I. & I.* Et illi, *teste Philoſopho*, qui genuinam vocabuli ſignificationem non ſatis intelligunt, in rebus dijudicandis facillime falluntur. Præmittenda igitur hic meritò vocis mutui, notatio; dictum videlicet eſſe mutuum, ex eo, quod de meo tuum fiat §. *appellata. 2. ff. de reb. cred: pr. Inſt. quib. mod. re cont. obl.*

II.

Et licet huic negotio ex eo potiſſimum nomen inditum, quod viciſſim debitor creditori debeat id quod accepit à creditore, ideoq; hæc naturalis vocabuli mutui ſit ſignificatio, *facit. l. 80. de ſolut.* vnde quoq; dicimus, mutuum amorem, mutuum officium, quod pro alio accepto refertur: cum tamen in hoc contractu mutuationis initium faciat creditor, fit, vt ille quoq; mutuum dare rectè dicatur.

III.

Sunt & præterea alia mutui nomina, vtpote quando appellatur, pecuniæ datio, *l. 3. §. 3. ad SCtm Maced.* æs alienum *l. 1. pr. ff. eod.* nomen *l. 38. de reb. cred.* Creditum, *l. 4. hic l. omnem 20. ff. de Iudicijs, & l. creditores, 10. cum l. seq. de V. S.* vnde in creditum dare & accipere, pro mutuum dare & accipere dicitur, *l. 19. §. 1. h. l. 20. eod.* vel credita pecunia. *l. 10. 15. 16. 20. h.* ex quo etiam debitores appellantur, qui mutuum acceperunt. *l. si quis absentis §. is quoq; 3. de obl. & act.* & creditores qui mutuo dederunt; atq: in creditum propriè ire dicatur, qui mutuum contrahit. *l. 2. §. 1. h. VVes. parat. n. 2. Olden. clas. 4. act. 17.* Extra hanc autem significationem, credendi vocabulum generale est, ita vt ad quamcunq; obligationem referatur. *l. 2. §. 3. h. l. 11. & 12. de V. S. ibid. Goëd.* adeò vt & illi, quibus ex delicto, legato, fideicommisso aliquid debetur, rectè creditores dicantur. *l. 12. de V. S. Goëd. ad l. 11. 12. n. 9. de V. S. l. 178. §. fin. de V. S. Aristoteles quinto Eth. c. 2. licet aliter sentiant Don. & Alciat. ad l. 1. de reb. cred.*

IV.

Definitur autem mutuum quod sit contractus Iuris gentium, nominatus, quo res pondere, numero aut mensura constantes, in hoc damus, vt accipientium fiant, & quandoq; nobis non eædem res, sed aliæ eiusdem naturæ & qualitatis reddātur, *pr. In-*

pr. Institut. quib. mod. re cont. oblig. l. 1. §. 2. de obl. & act.

V.

Species mutui quod attinet, propriè loquendo non nisi vnicum re vera est mutuum, quod sc. re interveniente celebratur, *Iason. ad l. 2. ff. de reb. cred.* illæ autem quæ vulgo à Dd. fiunt, à Iure civili alienæ esse videntur; vti quando aliud *naturale*, aliud *civile*, aliud *ciuile & naturale, seu mixtum* esse dicunt; Et *naturale* quidem illud, quod antea definivimus; *Ciuile* in quo natura non cooperatur, veluti si quis spe futuræ numerationis, stipulanti decem aureos ex mutuo promittat; *Mixtum* quando stipulanti, viginti mutuo me daturum promitto, illamq; stipulationem statim sequatur numeratio; sed posteriores hasce species, vti dictum antea, Iuri civili incognitas putamus, cum actio mutui ex illis non oriatur, sed cum mutuo stipulatio subijcitur, ex ea potius quam ex mutuo actio competit, *l. 125. §. Chrysogonus, ff. de V. obl. Heig. ad pr. I. h. n. 6.*

VI.

Mutuum porro dare possunt omnes ij qui non prohibentur: Quæ prohibitionis ratio ex eo deducitur, quod in mutuo transferatur dominium, voluntate & consensu eius qui transfert. Vnde sequitur, eum qui rem accipientis facere, aut consentire non potest, mutuo dare non posse.

7. Ob

VII.

Ob consensus quidem defectum, furiosus mutuo dare non potest. *l. 12. ff. hic l. 24. ff. de obl. & act.* mutuum enim, vt pote contractus fieri non potest nisi inter consentientes. *l. 32. ff. de reb. cred.*

IIX.

Qui autem rem accipientis facere non possunt, impediuntur ex eo, vel quod domini non sint. *l. 2. §. 4. h. t. l. 56. §. 2. de fideiuss.* vnde neq; fur furtivos, neq; alius quivis nummos alienos mutuo dare potest, *l. 13. pr. §. 1. 2. l. 16. l. 19. pr. h.* vel quod liberam alienandi facultatem non habeant, licet sint domini, vti est pupillus autoritate tutoris destitutus. *l. 19. §. 1. h. l 3. §. 2. ad SCtum Maced.* Prodigus cui bonis interdictum est. *l. 9. §. 7. h.* ad quorum tamen classem puberem minorem XXV. annis referendum non putamus *cum Iasone ad l. 19. §. 1. n. 2. ff. de reb. cred.*

IX.

Quamvis autem hisce casibus, ab initio mutuum non consistat, tamen ne is qui pecuniam hoc casu accepit, eam lucretur, nulla obligatione, ex qua actio dari possit, existente, vtilitatis causa receptum est vt consumptis ijs nascatur condictio. *l. 13. pr. §. 1. 2. l. 19. de reb. cred.*

X.

Interdum tamen etiam illi, qui domini non sunt, tamen rectè mutuo dando rem accipientis faci-

faciunt, veluti I. Si Domini consensu alius pecuniam mutuam det. *l.26.l.41.de reb.cred.* vt servus voluntate domini. *l. 35 de solut.* procurator omnium bonorum *l. 26. h.* II. Tutor & curator eorum nomine quorum tutelam aut curam gerit. *l.26.h.l.26. de admin. & peric. tut.* III. Imo alterius nomine potest quis suos nummos mutuo dare, vt actio acquiratur ei, cuius nomine datum est. *l.2.* §. 4.*l.9.*§.8.*h.t.* IV. Administrator civitatis quoq; pecuniam Civitatis mutuam dare potest. *l.11.ff.de vsur.*

XI.

Eodem modo cum mutuum accipere sit de genere permissorum, sequitur, omnes illos, qui prohibiti non reperiuntur, eos non repelli, sicuti est vxor *l.15. C. de vsur.* Ciuitas, *l. 27. h.* Ecclesia. *Nov.* 120. *c. 6.* §. *vlt. cau.*10. *quæst.2. c. ea enim.* Pupillus autem absq; tutoris autoritate. *l. 19.* §. 1. *hic.* vti & furiosus, prodigus, adolescens item luxuriosus *l. 32. h. iuncta l. 5.l.4.de R. I.l.12.*§.11. *mand.* mutuum omnino sumere non possunt.

XII.

Filius-fam. quoq; omnino prohibetur accipere, adeoq; si acceperit, perpetuâ exceptione SCti Macedoniani tutus est, nisi certis in casibus, veluti, si eam in rem quæ patris oneribus incumbit, accipiat, veluti sumtus studiorum gratia, &c. *Vid. Vult.* 1. *I. Rdentiæ c.* 31. Quò etiam pertinet mulier,

lier, quæ neq; propter SCtum Velleianum pro alio quid ſumere mutuo poteſt *l. 2. §. 1. ff. ad SCtum Velleian.* Quarum exceptionum beneficijs an renunciari poſſit, dubia inter Dd. movetur lis: de poſteriori quidem affirmamus, *l. vlt. §. pen. ibid. Gothof. ad SCtum Velleia. Zaſ. lib. 2. Dinus reſpon. c.* 18. De priori autem omninò negamus, *cum Mynſ. ad §. pen. VVeſenb. in ſupplem. com. Schneid. ad d. t. §. pen. num. 9.*

XIII.

Conſideratis ita perſonis, conſequens eſt, & de rebus, quæ in mutuum veniunt aliquid ſubijcere. Veniunt igitur ſaltem illæ res, quæ in quantitate conſiſtunt & in genere ſuo functionem recipiunt. Quam quidem quantitatem conſideramus duntaxat in rebus mobilibus, & in illis tamen tantùm, quarum vſus aliter eſſe non poteſt, niſi vſu ſimul abſumantur.

XIV.

At cum eadem res non quidem in ſpecie ſed in genere reſtituenda ſit creditori, ideo ne plus vel minus reddatur quam acceptum eſt, ad æqualitatem illud revocatur, vel per numerum, vt in pecunia, *l. 41. §. fin. de vſur.* vel menſuram, vt in vino, oleo & liquoribus *pr. I. h. t.* vel pondus, vt in auro, argento, plumbo, ferro, cera, ſtanno, *d. pr. I. h. t.* quo etiam cibos, panes, piſces, carnes referendos putamus, *cum Cuiac. 11. obſ. 37. Bocer. claſ. 2. diſp. 7. th.* 22.

15. Fun-

XV.

Fundi tamen, ædes, libri, vestes, equi, & ejus modi res aliæ, cum functionem in suo genere non recipiant, mutuo non dantur; licet dicas numerari illas res posse, vel alio etiam casu apponi vel admensurari. *Duar, ad tit. C. si cert. pet.*

XVI.

Ratio autem formalis mutui in eo consistit, vt videlicet rei mutuo datæ dominium transferatur in accipientem. *l.* 2. §. 2. *h.* cum enim propter vsum hominis contrahatur mutuum, ea autem illarum rerum, quæ mutuo dantur, sit natura, vt ijs vti nemo possit nisi simul abutatur, easq; consumat, fit, vt nisi dominium transferatur in accipientem, vel omninò inutilis sit contractus, vel ipsa absumptione dominium confirmetur.

XVII.

Modus dandi & accipiendi mutuum in eo consistit, vt vterq; contrahentium, & in causam obligationis, & in vnam eandemq; obligationem consentiat. Et de caussa obligationis quidem res plana est: qui enim exsolvendi causa dat non obligandi alterius, mutuum non contrahit. *l.* 19. *l.* 20. *ff. h. t.* Sic si ego quasi donaturus dem, tu quasi mutuum accipias, vel contra, neq; mutuum erit neq; donatio. *l.* 18. *pr. de reb. cred.* Sic etiam consensus in vnam eandemq; obligationem requiritur. *l.* 18. *l.* 19. *h.*

si e-

ſi ego quaſi deponens pecuniam dedero, tu quaſi mutuam accipias, nec depoſitum erit nec mutuum *l.* 18. §. 1. *h.*

XIIX.

Cum autem hunc contractum ſupra realibus annumeraverimus, aperte liquet inde, obligationem ex mutuo nullam naſci, niſi res illa vel appendendo vel admetiendo vel adnumerando tradatur. *l.* 2. *§.* 1. *h.* atq; ita fiat accipientis *d.l.2.h.pr.I.h.t.* quamvis hæc traditio interdum poſſit tempore antecedere, vt e.g. ſi decem apud te depoſuerim, poſt tempus autem aliquod permittã, vt ijs vtaris, mutuum eſſe incipit à tempore permiſſionis. *l.* 9.§. 9. *h.*

XIX.

Sic mutua etiam pecunia eſſe creditur, ſi alicui rem quandam vendendam tradiderim, eum in finem, vt is, cui res vendenda tradita erat, pretio vteretur, *l.11.ff. de reb.cred.* Non tamen ſemper & indiſtinctè. *l.* 10. *pr. de præſcript. verbis l.* 8. *C.de reb.cred. l.*4.*pr.h.* Vnde tamen non ſequitur, nudo interdum conſenſu mutuum contrahi poſſe, vt apertè *ex d.l.* 11. *conſtat.*

XX.

Mutuum hoc ita contractum ſui natura eſt gratuitum, adeo vt vſuræ ex eo non debeantur, niſi ex novâ quadam obligatione, veluti ſtipulatione in continenti adiectà. *l.* 121. *de V. S. l.* 40. *h. t.* ſi enim non incontinenti, ſed ex intervallo adijciatur, ad

vſu-

vsuras exigendas nihil prodest, *l. 7. §. quin imo 5 ff. de pactis l. 10. C. eod. l. 3. C. de vsuris.* Pactum autem ad vsurarum creditæ pecuniæ exactionem non sufficit. *l. 3. 4 de vsuris,* nisi pecunia debeatur ex bonæ fidei contractu, & pacto postea fiat mutua. *l. 34. pr. ff. mandati.*

XXI.

Mutui principijs hoc modo præsuppositis, de ipsa actione, condictione nimirum ex mutuo brevibus videbimus. Et datur quidem ei, qui mutuam dare pecuniam potest, sive hoc suo sive alterius nomine faciat. *l. 120. §. 2. de V. Obl.* qui vero id non possunt, actione etiam hac omnino vti possunt, vti nec potest is, à quo creditor pecuniam alteri mutuo datam accepit. *l. 7. C. si cert. pet.*

XXII.

Et datur quidem non ad restituendam rem in specie eandem, quæ tradita est, (nisi forte ex accidenti contingat, vt res illæ ipsæ solvantur veluti si eosdem nummos, quos mutuo quis acceperat, cum postea ijs non indigeret, creditori reddat) sed eandem genere. *pr. I. h.* eademq; qualitate & quantitate. *l. 11. §. 1. h. l. 17. pr.* de pactis, quod si etiam convenerit, vt minus aut deterius quid solvatur, quam datum sit, cum tale pactum obligationi detrahat, & leviorem causam debitoris faciat, ipso iure non plus debetur quam placuit, *l. 11. §. 1. h. t.*

 23. Si

XXIII.

Si tamen convenerit, vt plus debeatur aut melius, id quod superat quantitatem aut qualitatem rei creditæ, exigi non poteſt, *l.* 11. §.1.*h.* idq́; eò, ne ex pacto actio quædam naſcatur, *l.7.§.5.6.l.17.pr.de pact.* quod ſi autem illud quod ſuperat quantitatem rei creditæ, ſtipulatus ſit creditor à debitore, hac quidem ex ſtipulatu actione, non autem condictione ex mutuo petere poteſt, *arg. l.11.de religios.*

XXIV.

Totum etiam omnino ſemper hac actione perſequitur creditor, adeo vt particularem ſolutionem admittere non cogatur. *l.* 41.*§.1.de vſur.facit l. 3.ff.famil.erciſc.Vide Borcholt.de reb.cred.cap.7.n.24.*

XXV.

Nummis autem creditis quid petendum ſit, anxiè inter Dd. quæritur: Et quidem ante omnia videndum de tenore ipſarum literarum obligationis, ex quibus mens contrahentium elucet, *Laudens, de monet. n.13.* contractus enim ex conventione legem accipiunt, *l.* 1. *§. convenerit. ff. depoſiti. Tiraquell, de retraict. lignaſ.§.*30.*gl.*1. *n.* 2. quo deficiente, ad ipſius contractus naturam erit reſpiciendum.

XXVI.

Quod ſi tum igitur certi generis nummi ſunt mutuo dati, veluti Ioachimici 100. cum idem genere ſit reddendum in mutuo, facile patet, ſolutio-

tionem hoc casu in alterius generis nummis fieri non posse. *l.3.ff.h.t.* cum diversæ formæ nummi non sint ijdem genere *Mynſ. cent. 1. obſ. 65. & cent. 5. obſ. 83. n. 2. Vid.* Müntzordnung *Imp. Ferdinandi de Anno* 1559. *§.* die jetzt gemelte.

XXVII.

Si vero non certi generis nummi, sed certa saltem pecuniæ summa est credita, in certis tamen speciebus, vt puta centum thaleri in 20. Ioachimicis, cum & hoc casu putandum nón sit, ea verba frustra à contrahentibus adjecta esse, eodem in genere debitum erit exsolvendum, *vi l.3 h.t.*

XXIIX.

Certa autem summa simpliciter creditâ absq; nummorum certorum vnius generis adjectione, æstimatio saltem videtur credita, non etiam nummi numerati, ideoq; liberum erit creditori, quodcunq; genus nummorum solvere, *l.65. de V. O. l.99. de solution.*

XXIX.

Valore autem nummorum aucto vel diminuto, ad quem illud lucrum vel damnum spectet, maximæ est disputationis? Nobis illa videtur via tutissima, vt si certi generis nummi sint crediti, ex vi atq; natura contractus mutui, in eodem genere sit facienda solutio, & consequenter commodum sit creditoris, ad quem etiam damnum eo casu pervenisset. *Gail. 2. obſ. 73. n. 9.*

XXX.

Summâ autem ſimpliciter creditâ, forte 100. aureorum, ſolutio in quocunq; genere nummorum in ſolutionibus recepto fieri poterit. Quo tamen caſu æquius erit habere proportionem quandam inter nummum tanquam æſtimatorem, & res æſtimatas; nomen quidem centum florenorum, idem eſt cum eo quod fuit olim, res tamen valde diverſa, cum enim 100. florenis ne quarta quidem pars hodie emi poſſit earum rerum, quarum olim totum, hodie multo minus habere eum cui ſunt centum floreni, quam olim; ipſa quotidiana experientia omnium magiſtra, ſuffragatur, ſed de hac quæſtione *vid. Gail. d. obſ. 73 n. 3. & ſeqq. Mynſ. cent. 4. obſ. 1.*

XXXI.

Nos huic diſputationi finem cum eo imponimus: poſſe quidem vſuras, ex ſtipulatione in hoc contractu debitas, ſimul peti cum ſorte, non vnâ tamen actione, ſed junctis & cumulatis duabus, hâc videlicet ex mutuo, & eâ, quæ ex ſtipulatu datur. *l. 40. ff. de reb. cred. l. 4. pr. ff. quod certo loco.*



Ad

Ad præstantißimum iuvenem

DN. HENRICVM NIEMANNVM

de Mutuo disputantem, amicum ac popularem suum longè charissimum.


*R*Es in confesso est: quod vult vrtica manere
*V*rit maturè. *Nec enim, cui sola palati*
Et ventris cura est, catulus frugi fore cuiquam
Censetur, plures vbi Luna reduxerit orbes.
Egregio verùm qui cretus stirpe magistri
Verba lubens sequitur, dum sedulus acriter instat
Iußis seu feras agitando in divitis aula
Sive ciendo iocum, quemcunq; velis tibi fiet:
Commoda multa canis feret omnem natus in vsum.
Sic quicunq; bono (liceat componere parvis
Magna) parente satus patrium haud renuente Minerva.
Excolit ingenium, fidis monitoribus æquus,
Dum mens flore viret primo, aßiduoq; labore
Invigilat Musis, quid non patriæq; suisq;
Promittit magnum venturus in ora virorum?
Scilicet Aonio de sanguine nobile germen,
Ipse vides, quàm vera loquar, præcepta secutus
Ex quo Polmanni, quo vix præstantior alter,
Ardenti versas veterum monumenta sophorum
Docta manu parcus somni parcusq; Lyæi,

Nil

Nil intentatum linquis, dum civica iura
Respondere queas quondam: nam dogmata summo,
Magnus Aristoteles quæ tradidit, Ethica nisu
Aggrederis munisq; animum, quæ profore credis,
Pulveris & solis patiens versando per omnes
Artes ingenium, dum res permittit & ætas.
Deinde bipartiti sacrata volumina iuris
Sudore evolvis multo indefessus & omne
Tempus in hæc studiumq; locas, suspensa movere
Ne te larva queat, doctûmq; exempla secutus
Materiem magno conamine viribus æquam
Conscribis gnarus curvo dignoscere rectum,
Vt quondam verè legum iurisq; peritus
Dicaris, Themis ipsa novo quem claret honore.
Quod precor & multi mecum tibi, candida dudum
Cui virtus istos stabili devinxit amore.

Hermannus Schacht Verd.

F I N I S.





civica iura
nam dogmata summo,
didit, Ethica n...
, quæ profore credis,
lando per omnes
mittit & ætas.
umina iuris
sus & omne
as, suspensa movere
exempla secutus
viribus æquam
oscere rectum,
ꝗ peritus
tem claret honore.
tibi, candida dudum
cit amore.

ermannus Schacht Ved.

I S.



Nil intentatum linquis, dum civica iura
Respondere queas quondam: nam dogmata summo,
Magnus Aristoteles quæ tradidit, Ethica nisu
Aggrederis munisq; animum, quæ profore credis,
Pulveris & solis patiens versando per omnes
Artes ingenium, dum res permittit & ætas.
Deinde bipartiti sacrata volumina iuris
Sudore evolvis multo indefessus & omne
Tempus in hæc studiumq; locas, suspensa movere
Ne te larva queat, doctûmq; exempla secutus
Materiem magno conamine viribus æquam
Conscribis gnarus curvo dignoscere rectum,
Vt quondam verè legum iurisq; peritus
Dicaris, Themis ipsa novo quem claret honore.
Quod precor & multi mecum tibi, candida dudum
Cui virtus istos stabili devinxit amore.

Hermannus Schaeht Verd.

F I N I S.

